

non sit verus Episcopus, non potest hoc committere, etc. » — Hæc ille, cum multis aliis ad propositorum facientibus.

Denique illud fundatamentum quod ultimo recitat arguens, licet ex predictis pateat esse insolidum, tamen, ex abundantia, ad ostendendum ejus ruinam, recito dictum sancti Thomæ, ubi supra, scilicet dist. 25, q. 1, art. 1, in solutione quinti. Arguit enim sic, quinto loco : « Plus distat sacerdos a diacono, quam Episcopus ab Episcopo. Sed Episcopus potest consecrare Episcopum. Ergo sacerdos potest promovere diaconum. » Eece argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod ad communicandum alteri quod quis habet, non exigitur solum propinquitas, sed completio potestatis. Et quia sacerdos non habet completam potestatem in hierarchicis officiis, sicut Episcopus, ideo non sequitur quod possit diaconos facere, quamvis ille ordine sit sibi propinquus. » — Hæc ille. — Ex quibus habetur causa quare character sacerdotii non potest communicare seipsum, nec sacerdos simplex potest ordinare sacerdotem nec diaconum.

Ad argumentum contra questionem (z), et ad illud quod est pro questione (6), patet responsio per predicta.

Et haec de questione sufficiant. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIONES XXVI, XXVII, XXVIII, XXIX.

QUÆSTIO I.

UTRUM MATRIMONIUM SIT SACRAMENTUM

 CIRCA vigesimamsextam distinctionem, et tres (7) sequentes, queritur : Utrum matrimonium sit sacramentum.

Et arguitur quod non. Quia omne sacramentum novæ legis habet aliquam formam, que est de essentia sacramenti. Sed benedictio que fit per sacerdotem in nuptiis, non est de essentia matrimonii. Ergo non est sacramentum.

In oppositum arguitur. Quia dicitur, *Ephes. 5. (v. 32)* : *Sacramentum hoc magnum est*, etc.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

(z) questionem. — conclusionem Pr.

(6) questione. — conclusione Pr.

(7) tres. — quatuor Pr.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : *Quod matrimonium est vere et realiter sacramentum.*

Hanc ponit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 2, art. 1, ubi sic dicit : « Sacramentum importat aliquid remedium sanctitatis homini contra peccatum, exhibitum per signa sensibilia. Unde, cum hoc inveniatur in matrimonio, inter sacramenta computatur. — Item, sacramentum est sacramentum rei signum. Sed matrimonium est hujusmodi. Ergo, etc. » — Hæc ille.

Ex quibus patet ratio pro conlcusione.

Secunda conclusio est *quod matrimonium confert gratiam.*

Hanc ponit sanctus Thomas, eadem questione, art. 3, ubi sic dicit : « Circa hoc fuit triplex opinio. Quidam enim dixerunt quod matrimonium nullo modo est causa gratiae, sed est tantum signum. Sed hoc non potest stare : quia, secundum hoc, in nullo abundaret a sacramentis veteris legis; unde non esset ratio aliqua quare sacramentis novæ legis annumeraretur. Quod enim remedium præbeat satisfaciendo concupiscentie, ne in præceps (z) ruat, dum nimis (6) arctatur, habuit etiam in veteri lege, ex ipsa natura actus. — Et ideo alii dixerunt quod ibi confertur gratia in ordine ad recessum a malo : quia excusat actus a peccato, qui sine matrimonio peccatum esset. Sed hoc esset nimis parum, quia hoc etiam in veteri lege habuit. Et ideo dicunt quod facit recedere a malo, in quantum mitigat concupiscentiam, ne extra bona matrimonii feratur; non autem per gratiam illam sit aliquid auxilium ad bene operandum. Sed hoc non potest stare : quia eadem gratia est quae impedit peccatum, et quae ad bonum inclinat; sicut idem calor est qui auferit frigus, et qui calefacit. — Unde alii dicunt quod matrimonium, in quantum in fide Christi contrahitur, habet ut conferat gratiam adjuvantem ad illa operanda quae in matrimonio requiruntur. Et hoc probabilius est. Quia ubicumque datur divinitus aliqua facultas, dantur etiam auxilia quibus homo convenienter uti possit facultate illa; sicut patet quod omnibus potentias animæ respondent aliqua membra corporis, quibus in actum exire possint. Unde, cum in matrimonio detur homini, ex divina institutione, facultas utendi uxore sua ad procreationem.

(z) præceps. — præceptum Pr.

(6) nimis. — mens Pr.

prolis, datur etiam gratia, sine qua id convenienter facere non posset; sicut etiam de potestate ordinis supra (dist. 24, q. 1, art. 2, q^{ta} 1) dictum est. Et sic ista gratia data, est ultima res contenta in hoc sacramento. » — Hæc ille.

Ex quibus patet ratio in forma pro conclusione.

Tertia conclusio est quod matrimonium, quantum ad illud quod est res et sacramentum, essentialiter est quedam relatio de genere conjunctionis.

Hanc ponit sanctus Thomas, dist. 27, q. 1, art. 1, in solutione primæ quæstiunculæ, dicens : « Conjunction adunationem quamdam importat. Unde ubiquecumque est adunatio aliquorum, ibi est aliqua conjunction. Ea autem quæ ordinantur ad aliquid unum, dicuntur in ordine ad illud adunari; sicut multi homines adunantur ad unam militiam vel negotiationem exequendam, ex qua dicuntur commilitones ad invicem, vel socii negotiationis. Et ideo, cum per matrimonium ordinantur aliqui ad unam generationem et educationem proli, et iterum ad unam vitam domesticam, constat quod in matrimonio est aliqua conjunction, secundum quam dicitur maritus et uxor. Et talis conjunction ex hoc quod ordinatur (α) ad aliquid unum, est matrimonium. Conjunction autem corporum vel animorum ad matrimonium consequitur. » — Hæc ille.

Item, ibidem, in solutione tertii, sic dicit : « Relatio fundatur in aliquo sicut in causa, ut similitudo in qualitate; et in aliquo sicut in subjecto, ut in ipsis similibus. Et ex utraque parte potest attendi unitas et diversitas ipsius. Quia ergo in similitudine non est eadem qualitas numero, sed specie, in utroque simili; et iterum subjecta similitudinis sunt duo numero; et similiter est de æqualitate; ideo æqualitas et similitudo omnibus modis est alia numero in utroque simili et æquali. Sed relatio quæ est matrimonii, ex una parte habet unitatem in utroque extremorum, scilicet ex parte causæ, quia ad eamdem numero generationem ordinatur; sed ex parte subjecti habet diversitatem secundum numerum. Et ideo hæc relatio est una et multiplex. Et secundum quod est multiplex ex parte subjecti, nominatur his nominibus *uxor* et *maritus*; secundum autem quod est una, significatur hoc nomine *matrimonium*. » — Hæc ille.

Item, in solutione secundi, sic dicit : « Quamvis ipsa relatio non sit sensibile accidens, tamen causæ ejus possunt esse sensibles. Nec in sacramento requiritur quod sit sensibile illud quod est res et sacramentum. Hoc enim modo se habet in hoc sacramento predicta conjunction; sed verba expri-

mentia consensum, quæ sunt sacramentum tantum et causa predictæ conjunctionis, sunt sensibilia. »

— Hæc ille.

Ex quibus potest formari talis ratio pro conclusione : Quod est de genere conjunctionis, est de genere relationis. Sed matrimonium, quoad illud quod est res et sacramentum simul, est de genere conjunctionis. Ergo, etc.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIONES

§ 4. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Quantum ad secundum articulum, arguitur contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Durandus (dist. 26, q. 3), dicens : Tenendum est absolute quod matrimonium est sacramentum, cum hoc determinet Ecclesia, Extra, *De haereticis*, cap. (α) *Ad abolen-dam*, ubi numeratur matrimonium inter alia sacramenta, ubi dicitur sic : *Universos qui de sacra-mento corporis et sanguinis Domini Nostri Jesu Christi, vel de baptimate, seu peccatorum con-fessione, matrimonio, seu cæteris sacramentis ecclesiasticis, aliter sentire aut docere non me-tutunt, quam Sacrosancta Romana Ecclesia præ-dicat et observat, vinculo anathematis innoda-mus*. Matrimonio etiam competit generalis ratio sacramenti, quæ est quod sacramentum est sacræ rei signum : matrimonium enim significat conjunctionem Christi et Ecclesie; unde Apostolus, loquens de matrimonio, *Ephes. 5* (v. 32), dicit : *Sacra-mentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo et Ecclesia*. Duo ergo sunt tenenda de matrimonio; nec opposita eorum possunt teneri vel asseri, sine periculo haeresis. Primum est, quod matrimonium est licitum; et ideo Tatiani et Martiani et ceteri qui nuptiis detrahunt, censentur haereticici. Secundum est, quod matrimonium est sacramentum, eo modo quo sacræ rei signum dicitur sacramentum; et dicere oppositum similiter est haereticum, cum sit contrarium dicto Apostoli jam allegato. Matrimonium enim initiatum inter con-juges per consensum animorum, significat conjunctionem Christi et Ecclesie per fidem et charita-tem; matrimonium vero consummatum significat conjunctionem Christi et Ecclesie per conformita-tem naturæ assumptæ. Præter autem duo predicta, sunt alia duo circa matrimonium, circa quæ sine periculo haeresis licitum est contrarie opinari. Quo-

(α) *ordinatur*. — *ordinantur* Pr.

(α) *cap.* — *Om. Pr.*

rūm unum theologicum est, videlicet: Utrum in matrimonio conferatur gratia ex opere operato, sicut in aliis sacramentis novæ legis. Secundum vero est logicum: Utrum matrimonium habeat plenam univocationem cum aliis sacramentis. — Haec Durandus

Et, post multa dicta circa primum, loquens de secundo, sic dicit: Sciendum, inquit, quod cum univoca sint quorum nomen est commune et ratio, id est, dissinitio secundum illud nomen est eadem, discurrendum est per rationes seu dissinitiones sacramenti in principio hujus *Quarti* positas. Quarum prior et communior dissinitio sacramenti est, quod sacramentum est sacre rei signum. Et secundum hanc dissitionem, non est dubium quin matrimonium sit univoce sacramentum cum aliis: est enim signum sacrae rei, id est, conjunctionis Christi et Ecclesiæ, ut prius dictum fuit. Quamvis aliter sit in hoc sacramento et in aliis: quia, in aliis sacramentis, res sacra cujus sunt signum, non solum est significata, sed contenta; in matrimonio autem, res sacra cujus est signum, est solum significata, sed non contenta. Alio autem sunt dissitiones seu descriptiones sacramenti, assignatae per beatum Augustinum, et Hugoneum de Sancto Victore, et Magistrum *Sentent.* (a); qui omnes convenient in hoc, quod sacramentum novæ legis est aliquod signum vel sensibile extrinsecus homini appositum, ad effectum spiritualis sanctificationis. Et, quantum ad hoc, matrimonium non videtur habere perfectam univocationem cum sacramentis novæ legis.

Primo, quantum ad hoc quod sacramentum est signum. Quia illa quæ exterius aguntur in sacramentis novæ legis, excedunt dictamen rationis naturalis. Cum enim sacramenta sint quedam facta protestantia fidem, sicut fides est de his que rationem naturalem excedunt, sic ea quæ exterius aguntur in sacramentis, sunt signa ex divina institutione, et excedunt dictamen rationis naturalis: ut patet in ceteris sacramentis a matrimonio, scilicet in baptismo, confirmatione, et ordine, et hujusmodi; de illis enim quæ exterius in predictis sacramentis aguntur, nulla ratio naturalis potest reddi. De illis autem quæ exterius aguntur in matrimonio, potest reddi ratio naturalis, puta quod contrahentes matrimonium consentiant; et consensum suum exprimant: hoc enim dicitur ratio naturalis de quolibet contractu voluntario. Ergo illud signum corporale, vel sensibile, quod est in matrimonio et in ceteris sacramentis, non sumitur uniformiter vel univoce hinc et inde: quia, in aliis sacramentis, illa quæ exterius aguntur, sunt signa spiritualis effectus, ex divina institutione, cuius non potest

reddi ratio naturalis; illud autem quod exterius agitur in matrimonio, dum contrahitur, est pure de dictamine rationis naturalis, excepta significatione conjunctionis Christi et Ecclesiæ, secundum quam dictum est quod matrimonium habet cum aliis sacramentis quamdam univocationem.

Secundo. Patet idem ex hoc quod sacramentum est aliquid extrinsecus appositum. Ex quo potest sic argui: Sacraenta consistunt in opere operato applicato illis qui suscipiunt sacramentum. Sed istud non convenit univoce matrimonio et ceteris sacramentis. Ergo, etc. Major patet ex his quæ dicta sunt de sacramentis novæ legis. Minor probatur. Quia, in ceteris sacramentis, baptismo, confirmatione, ordine, extrema unctione et pœnitentia, praeter omnem actum suscipientium sacramentum, est aliquid extrinsecum quod eis applicatur: sicut aqua in baptismo, cum determinata forma verborum; et in ceteris similiter; et etiam in pœnitentia, de qua minus videtur, quia, praeter omnem actum suscipientis, applicantur ei verba sacerdotis absolvantis. In matrimonio autem nihil est de predictis: quia ad matrimonium sufficient verba contrahentium exprimentia consensum suum, sine quocumque extrinseco apposito, vel eis applicato. Ergo, quantum ad hoc quod sacramentum est opus operatum, homini extrinsecus appositum, non est univocatio inter matrimonium et alia sacramenta novæ legis. Et si dicatur quod verba unius conjugum alteri applicantur extrinsecus, et e converso, quando vir (z) dicit, *Accipio te in uxorem*; et mulier dicit, *Accipio te in maritum*; — adhuc non est hic plena univocatio cum his quæ extrinsecus aguntur in aliis sacramentis: quia, in aliis sacramentis, applicatio non fit per suscipientes sacramentum, sed per alium; et ideo sacramentum dicitur signum sensibile extrinsecus appositum; in matrimonio autem predicta applicatio fit per suscipientes, et non per exteriorem; quare non similiter est hic et ibi. Item, matrimonium non simul contrahitur inter presentes exprimentes sibi invicem consensum suum, sed inter absentes, per litteras, vel per nuntium; et tunc non est applicatio univoca cum applicatione quæ fit in aliis sacramentis, in quibus oportet suscipientem esse realiter presentem conferenti. Non enim Episcopus potest conferre ordines, vel sacramentum confirmationis, vel baptismi, vel extrema unctionis, vel sacramentalis absolutionis peccatorum, his qui sunt ab eo per longa terrarum spatia semoti, sed solum presentibus; nec sacerdos existens in Hispania potest confidere panem existentem in India; mulier autem existens in Francia contrahere potest cum viro existente in Hispania, et est verum matrimonium; quare non est univoca applicatio hic et ibi.

(a) Has dissitiones repertis in praesenti volumine, pag. 1 et 5. — Quoad dissitionem Augustini, Cfr. pag. 5, col. 1, not. a.

(z) vir. — ious Pr.

Tertio. Patet idem ex eo quod sacramentum exhibetur ad effectum sanctificationis spiritualis. Ex quo arguitur sic: Sacramentum confert gratiam non habenti, nisi ponat obicem; aut, si habet, auget eam. Sed matrimonium nullum istorum facit. Ergo non est univoce sacramentum sicut alia sacramenta novae legis. Major supponitur. Minor probatur. Quod enim matrimonium non conferat gratiam non habenti, satis patet: quia hoc pertinet solum ad sacramenta quae ordinantur ad remissionem culpæ mortalæ, ut sunt baptismus et pœnitentia. Nec auget eam prius habenti: quia continentibus exsistentibus in gratia, et postea contrahentibus, non augetur gratia, sed potius minueretur, si gratia et charitas reciperent diminutionem; quia melius est continere quam nubere, secundum illud Apostoli, 1. Corinth. 7 (v. 38): *Qui nubit, bene facit; qui non nubit, melius facit.* Ergo, etc.

Quarto. Quia circa sacramenta novae legis alia a baptismo, ordinatio Ecclesiæ potest habere vim præcepti, sed nunquam est de necessitate sacramenti. Sed ordinatio Ecclesiæ circa matrimonium est de necessitate matrimonii: facit enim Ecclesia personas illegitimæ (α) ad contrahendum, et de illegitimis facit legitimas, ut placet. Ergo matrimonium non est univoce sacramentum cum prædictis.

Quinto. Quia absque baptismo nullus est susceptivus sacramenti proprie dicti, cum baptismus sit janua sacramentorum. Sed, ante baptismum, contrahunt infideles verum matrimonium inter se, sicut fideles post baptismum. Ergo, etc. Nec obstat quod matrimonium eorum non dicitur ratum: quia, si ambo baptizentur, jam matrimonium eorum est ratum; sed non est magis sacramentum quam prius, ut probabitur; ergo, etc. Probatio assumptæ: quia in omni sacramento opus est novo facto, cum consistat in opere operato; sed in tali matrimonio nihil est de novo factum; solum enim sunt baptizati, baptismus autem est sacramentum distinctum a matrimonio; sicut ergo tale matrimonium non fuit sacramentum ante baptismum univoce cum prædictis, ita nec post, cum tamen sit verum et ratum. Et mirum est quod aliqui volunt querere plenam univocationem inter sacramenta quæ sunt præcise novæ legis, et tenentur sola fide, et matrimonium, quod non solum est in nova lege, sed fuit in veteri, et ante omnem legem scriptam, tam pro statu innocentiae quam naturæ, et est præcise de dictamine rationis, vel absque fide, excepta significatione conjunctionis Christi et Ecclesiæ. Igitur, etc.

Sexto (ℓ). Quia sacramentum quod non est neces-

(α) *illegitimæ.* — *legitimæ* Pr.

(ℓ) Hoc argumentum et quatuor sequentia Auctor refert prout inveniuntur apud Petrum de Palude (dist. 26, q. 4), qui ea attribuit Durando.

sitatis, habet per ministros Ecclesiæ dispensari; unde solus baptismus, qui est sacramentum necessitatis, potest per quemlibet laicum dispensari. Sed matrimonium non est necessitatis quantum ad quamlibet personam; et tamen non dispensatur per ministros Ecclesiæ; benedictio enim nubentium non est de necessitate. Ergo matrimonium non est sacramentum.

Septimo. Quia omne sacramentum habet formam distinctam a materia. Sed hoc non est in matrimonio: non enim verba exprimentia consensum viri sunt magis forma quam verba mulieris, nec econtra. Ergo, etc.

Octavo. Quia quæ exterius aguntur in sacramentis proprie sumptis, non possunt esse de dictamine puræ rationis naturalis: quia, cum sacramenta sint quedam protestationes fidei, sicut fides est de his quæ rationem naturalem excedunt, sic eorum quæ exterius aguntur, non potest esse ratio naturalis in sacramentis, sicut in baptismo, confirmatione, et ordine. In matrimonio autem, eorum quæ exterius aguntur potest redi naturalis ratio, utpote quod assentiant, et consensum suum exprimant. Ergo, etc.

Noно. Quia circa sacramenta ordinatio Ecclesiæ potest habere vim præcepti. Facit autem (α) Ecclesia personas illegitimæ ad contrahendum, et de illegitimis legitimas, prout placet. Ergo matrimonium non est proprie sacramentum.

Dechmo. Quia sacramenta non dejiciunt hominem a perfectiori statu. Sed matrimonium dejicit hominem a statu continentia, qui est melior et perfectior matrimonio, dicente Apostolo, 1. Corinth. 7 (v. 38): *Qui nubit, bene facit; qui non nubit, melius facit.* Ergo videtur quod matrimonium non sit striete et proprie sacramentum, sed solum large, prout sacramentum dicitur sacrae rei signum.

Undecimo. Quia rationes contrariae opinionis non movent. Quæ sunt specialiter duæ. Prima est: quia omne remedium contra peccatum est sacramentum; sed matrimonium est in remedium contra peccatum institutum, dicente Apostolo, 1. Corinth. 7 (v. 2), *Propter fornicationem unusquisque suam uxorem habeat;* ergo est sacramentum. Secunda ratio est: quia, si matrimonium non esset sacramentum, causa matrimonii esset pure temporalis (ℓ), et pertineret ad judicem sæcularem, et non ecclesiasticum; sed istud est contra canones; ergo, etc. — Sed ista argumenta non cogunt. Non quidem primum. Quia non omne remedium contra peccatum est sacramentum. Quia, si alicui indigenti detur pecunia, est sibi in remedium, ne egestate compulsus fuerit; et sic datur sibi in remedium contra peccatum; et tamen datio pecunie non est sacramen-

(α) *autem.* — *inim* Pr.

(ℓ) *temporalis.* — *corporalis* Pr.

tum. Sic, cum pér actum matrimonii satisfiat concupiscentiae, matrimonium est remedium, ne concupiscentia incitet ad alias corruptelas, puta fornicationem, adulterium. Et sic est in omnibus quæ ex natura actus (α) impedient peccatum ne fiat. Talia autem non sunt sacramenta; sed solum illa remediæ quæ ex natura actus pon habent hoc facere, sed ex divina institutione, per virtutem supernaturalem eis collatam vel assistentem, adhibitis quibusdam sensibilibus, quorum non posset redi ratio naturalis; quod non est in matrimonio. — Similiter secunda ratio non valet. Quia dicitur quod matrimonium est sacramentum saltem large. Esto etiam quod nullum esset sacramentum, adhuc cognitio ejus pertinet ad judicem ecclesiasticum. Quia cognitio de hoc quod est pure peccatum, et pertinet ad conscientiam solam, nec credit rempublicam temporaliter vel in rebus vel personis, pertinet ad judicem ecclesiasticum. Talis autem est error circa matrimonium. Ideo, quoad hoc, causa matrimonii est pure spiritualis, et pertinet ad judicem ecclesiasticum. Ideo, etc.

§ 2. — CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Argumenta Durandi. — Contra secundam conclusionem arguit idem Durandus (dist. 26, q. 3), dicens quod circa hanc conclusionem aliter opinantur juristæ, et aliter theologi. Juristæ enim qui neverunt textum decretorum et decretalium, in quibus mens Romanæ Ecclesie exprimitur, et fuerunt expositores et glossatores canonum et decretalium, et aliqui eorum fuerunt de collegio Cardinalium S. Romanæ Ecclesie, tenent quod in sacramento matrimonii non confertur gratia. Goffredus (6) enim in Summa sua, titulo *De sacramentis non iterandis*, dicit sic: « Fit et alia divisio sacramentorum. Quædam enim sunt, in quibus confertur gratia, ut, 1, q. 1, *Quidquid* (γ), ut sunt sacramenta necessitatis et ordinis. Quædam autem sunt, in quibus non confertur gratia, ut matrimonia, cum contrahuntur; et, ob hoc, in eorum contractu pretia interveniunt, ut, 32, q. 2, *Honorantur*, et conditiones pecuniariae, ut, Extra, *De conditionibus appositis in desponsatione* (ε), cap. *De illis*. »

(α) *actus. — contractus* Pr.

(6) Goffredus de Trano, in oppido Teano in Apulia natus, fuit juris canonici in Universitate Bononiensi professor, nec non capellanus Papie Gregorii IX. Obiit anno Domini 1245, eodem anno quo Cardinalis diaconus tituli S. Adriani fuerat creatus. Inter præcipuos Collectionis Decretalium Gregorii IX glossatores merito memorandus est.

(γ) Id est, Caus. 1, q. 1, can. *Quidquid*. Goffredus, sicut et ceteri Juristi quorum sententiam assertit Durandus, Decretum Gratiani citabant modo qui olim observari consueverat.

(δ) *desponsatione. — matrimonio* Pr.

— Hæc Goffredus. — Item, Hostiensis (α), in Summa, primo libro, titulo *De sacramentis non iterandis*, dicit: « Tertia divisio sacramentorum hæc est: Quia quædam sunt, in quibus confertur gratia, ut, 1, q. 1, *Quidquid*, ut sunt sacramenta necessitatis, ordinis, sive dignitatis. Quædam vero sunt, in quibus gratia non confertur, sicut matrimonia: sive cum contrahuntur, quoniam pretia interveniunt, 32, q. 2, *Honorantur*, 30, q. 5, *Alius*, et conditions pecuniariae apponuntur, Extra, *De conditionibus appositis*, etc., cap. *De illis*; sive cum consummantur, 32, q. 2, *Connubia*; quod non esset, si per ipsum gratia conferretur; nam in (ε) illis in quibus gratia confertur, talia simoniam inducunt, etc. » — Item, Extra, *De simonia*, cap. (γ) *Cum in Ecclesia corpora*, dicit Bernardus (ε) in Apparatu: « Pro benedictionibus nubentium aliquid accipi prohibetur, quia per eas gratia confertur. Sed pro matrimonio aliquid dare vel recipere non est peccatum, 1, q. 1, *Quidquid*, 32, q. 2, *Honorantur*: quia, licet sit sacramentum, per ipsum tamen gratia non confertur, arg. (ε) 27, q. 1, *Nuptiarum*, 32, q. 2, *Connubia*. » Item, super illo cap. *Honorantur*, notatur sic in Apparatu: « Si quæras quaro in hoc sacramento potius interveniat pecunia quam in aliis, dicunt quidam quod propter onera matrimonii. Sed certe eadem ratione pro ingressu monasterii posset recipi pecunia, propter onera quæ sustinet monasterium. Sed hæc est ratio: quia in hoc sacramento non confertur gratia Spiritus Sancti, sicut fit in aliis, ut, 1, q. 1, *Multi sacerdotalium*, cap. *Sicut*, et cap. *Quidquid invisibilis* (ζ). » — Hæc Apparatus. — Quod autem sub pacto pretii possit quis licite aliquam sibi desponsare, expresse dicitur, Extra, *De conditionibus appositis in desponsatione*, etc. (η), cap. *De illis*. Ibi enim dicitur quod *si aliquis sub*

(α) Henricus de Segusio, Segusil in Pedemontio natus, Bononiæ Parisiisque juris canonici professor, postea archiepiscopus Ebredunensis in Gallia, et inde cardinalis episcopus Ostiensis, unde communiter Hostiensis appellatur. Commentarium exaravit in quinque libros Decretalium. Obiit anno Domini 1271.

(ε) in. — Om. Pr.

(γ) cap. — Om. Pr.

(δ) Bernardus de Botone, seu Parmensis, ex nomine patriæ sic designatus. Jus canonicum in Universitate Bononiensi docuit, capitulo cathedralis Bononiensis fuit canonicus, postea Summi Pontificis capellanus. Obiit anno 1263. Apparatum glossarum adornavit, sub nomine *Glossæ ordinariæ* collectionis gregoriana cognitum.

(ε) « Antiquiores canonistæ, cum ad confirmationem alijus assertionis citant canonem, in quo illa assertio non quidem expresse enunciatur, et quo tamen argumentando infertur, tunc illi canonii præmittunt vocem *arg.*, id est, argumento, scilicet canonis citati. » Franc. Laurin, *Introductio in corpus Juris canonici*, par. 1, cap. 1, § 7.

(ζ) *Multi sacerdotalium*, cap. *Sicut*, et cap. *Quidquid invisibilis*. — *Mulier*, et cap. *Sicut invisibilis* Pr.

(η) in *desponsatione*, etc. — Om. Pr.

hujusmodi verbis juramentum alicui mulieri præstiterit, « *Ego te in uxorem accipiam, si tantum mihi donaveris, » reus perjurii non habetur, si eam nolentem sibi solvere quod sibi dare petiit, non acceperit in uxorem.* Super quo dicit Bernardus, in Apparatu : « *Talis conditio est licita in sponsalibus, ut hic patet.* » Sed constat quod pro sacramentis conferentibus gratiam non licet dare aut recipere pecuniam ex pacto seu contractu alicuius pretii. Ergo, secundum prædictos doctores, in sacramento matrimonii non confertur gratia. Quorum opinio an sit vera vel falsa, et allegationes quas de jure canonico pro se inducunt, an bene adducantur per eos, vel male, non determino quoad præsens; sed hoc solum accipio tanquam verum, quod, cum prædicti doctores noverint iura canonica, et eorum scripta et dicta habeantur a Papa et Cardinalibus et a Prælatis et cæteris Ecclesiarum rectoribus, quorum est specialiter scire quid Ecclesia Romana prædicat et observat, nec scripta eorum quoad predictum articulum de matrimonio reprobentur tanquam erronea vel contraria determinationi Ecclesiæ, quod sentire quod sacramentum matrimonii non conferat gratiam, non est contra determinationem Ecclesiæ, nec contra illud quod Ecclesia Romana prædicat et observat. — Huic etiam opinioni consentit Magister *Sentent.*, lib. 4, dist. 2, circa principium, dicens sic, quod « *sacramentorum novæ legis alia remedium (æ) contra peccatum præbent, et gratiam adjutricem conferunt, ut baptismus; alia in remedium tantum sunt, ut conjugium; alia gratia et virtute nos fulciunt, ut Eucharistia et ordō.* » Ergo, tam ex divisione quam ex dictione exclusiva, cum dicit, « *in remedium tantum sunt, ut conjugium,* » videtur Magister *Sentent.* sacramentum conjugii a collatione gratiæ separasse. Moderni autem theologi quasi communiter tenent quod per sacramentum matrimonii confertur gratia, nisi contrahentes ponant obicem, sicut fit in aliis sacramentis, quibus equiparatur sacramentum matrimonii in hoc casu; alias non videtur eis posse tenere quod matrimonium sit sacramentum novæ legis. — Haec Durandus.

§ 3. — CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. Argumentum Aureoli. — Contra tertiam conclusionem arguit Aureolus (dist. 26, q. 1, art. 1), probando quod matrimonium non sit relatio realis. Quia relatio realis non advenit noviter sine mutatione facta in aliquo absoluto, puta in fundamento vel ratione fundandi. Sed relatio conjugis ad conjugem advenit, nulla mutatione facta in fundamento vel ratione fundandi. Fundamentum enim (6) est

corpus; ratio vero fundandi est actus voluntatis. Modo, nulla mutatione facta in corpore, solo actu voluntatis adveniente et consensu, oritur relatio, nulla facta mutatione reali; sed tantummodo est ibi per actum voluntatis. Talis autem relatio æque bene est respectus rationis, sicut illa quæ advenit per actum intellectus. — Haec Aureolus.

II. Argumenta Petri de Palude et aliorum.

— Secundo contra eamdem conclusionem arguit Petrus de Palude (dist. 31, q. 1), probando quod vinculum matrimoniale sit aliquid absolutum in corpore. Et quod sit aliquid absolutum, potest sic probari: quia omne sacramentum novæ legis est causa gratiæ, disponendo ad eam. Et sicut in imprimis characterem, ipse character est dispositio, in aliis ornatus; ita et hic ipsummet vinculum conjugale est dispositio. Et sic est aliquid absolutum, cum dispositio sit in prima specie qualitatis, vel secunda, et non in genere relationis. — Quod autem sit dispositio in corpore, ex hoc videtur: quia gratia sacramentalis in matrimonio est contra carnis concupiscentias, propter quam *melius est nubere quam uriri* (*1. Corinth. 7, v. 9*); ubi autem est morbus, ibi et medicina. Et si vinculum est in ipso corpore subjective, tunc esset bene causa quare corrumperetur corruptione ipsius corporis; sicut in morte mariti corrumperitur vinculum in corpore ejus, sicut et omnis dispositio corporea, et per consequens ista, quæ est ad gratiam sacramentalem, quæ est *ut sciat homo suum vas possidere in sanctificatione* (*1. Thessalon. 4, v. 4*), per quam generativa ordinatur, et alia quæ ad bonum usum conjugii requiruntur. Sed quomodo corrumperetur corruptione objecti, cum distinctorum objectorum absolutorum corruptio unius non sit corruptio alterius, nec generatio unius sit generatio alterius? Immo, quæ sunt unum, corrumpuntur simul, et simul generantur; et diversa seorsum, maxime quando unum non est causa alterius. Potest enim absolutum destrui non solum per se, sui corruptione, sed per accidens, corruptione suæ causæ in conservari. Non est autem unus conjux causa alterius; nec essentia conjugii in uno, est causa essentiæ vinculi in alio. Unde dicendum quod sicut, corrupto colore, corrumperitur visio, quamvis visio sit aliquid absolutum, non quia color sit ejus causa (quia idem esset si visio esset a Deo effectiva), sed quia est terminus ejus, a quo dependet; sic, quia in matrimonio vinculum quod est in uno conjugum, habet alterum pro termino, ideo, illo deficiente, deficit: sicut visio, licet non sit relatio, sed qualitas absoluta, tamen, necessaria consequentia, includit respectum ad visibile sicut ad terminum, et inde est quod, illo respectu destructo, destruitur et ipsa visio; sic et in proposito.

Arguunt alii, ut dicit Petrus (ibid.), quod tale vinculum sit in anima subjective. Quia sacramen-

(æ) *remedium. — remedia Pr.*
(6) *enim. — ejus Pr.*

talis dispositio est ad gratiam gratum facientem; quæ est ex parte animæ separatae; et ubi est gratia subjective, ibi etiam debet esse ipsa dispositio. Et tunc videtur quod, sive sit relatio, sive aliquid absolutum, non possit deleri: quia anima quæ est ejus subjectum, et anima quæ est ejus objectum, sunt incorruptibiles. Unde, cum talis relatio non corrumpatur corruptione subjecti, nec objecti, nec a contrario, quod non habet, nec per peccatum, cum sit in peccatoribus, per consequens nec per mortem alterius, nec utriusque: sicut nec similitudo qua una anima rationalis alteri assimilatur postquam create sunt, non corrumpitur in æternum; nec tamen una est causa alterius.

Potest tamen probabiliter sustineri quod adhuc tale vinculum morte conjugum alterius corrumpitur. Quod patet tripliciter. *Primo*, quia illud quod est ab agente et conservante per intellectum, propter certum finem, fine deficiente, desicit. Unde motus cœli, quem angelus facit propter generationem, illa deficiente, cessabit: quia angelus non plus movebit ad effectum, postquam non plus movebitur a fine. Sic, quia Deus ad actus corporales, licet mediante sacramento, hoc vinculum impressit, inde est quod, altero mortuo, a quo vel ad quem non possit hujusmodi actus exerceri, Deus desinit conservare, ne frustra conservet; et sic desinit esse vinculum per subtractionem influentiae causæ conservantis. *Secundus* autem est de charactere, qui est ad actus spirituales; propter quod est indelebilis. — Sed contra hoc est: quia character non est nisi ad actus viæ, sicut baptismi (α) ad recipiendum hic alia sacramenta, confirmationis ad confitendum eorum tyranno, ordinis ad conficiendum, etc.; quæ omnia propria sunt huic viæ, prout distinguitur contra aliam; ergo homo non deberet indelebiliter habere characterem, si solum habet actum vel effectum in hac vita mortali, et non in alia, in qua cessat collatio et susceptio sacramentorum. — Ad hoc posset dici quod (β), sicut remanent et reparantur virtutes cardinales in patria, quoad actus circa finem, sic et characteres: erit enim (γ) quidam specialis ornatus sanctorum novi Testamenti ex charactere baptismali respectu antiquorum, qui non habuerunt hanc conformitatem ad Christum; et similiter confirmatorum erit speciælis gloria respectu non confirmatorum, quasi militum Christi; et similiter ordinatorum, quasi Christi ministrorum. Sed vinculum matrimonii non esset ad gloriam, sed ignominiam, cum status conjugatorum sit infimus pro tempore gratiae, quando vinculum istud est aliquid reale (nam tempore legis, quando præferebatur conjugium virginitati, non erat aliquid reale); unde non potest manere realiter.

(α) baptismi. — *baptismus* Pr.

(β) quod. — *quia* Pr.

(γ) erit enim. — *etenim* Pr.

Secundo. Patet idem sic: Quia, sicut propter maximam ægritudinem scientia a sensibilibus acquisita corrumpitur in intellectu, sic et vinculum per mortem habentis, licet sit in anima; et etiam per mortem alterius, quasi objecti: sicut scientia per corruptionem organi phantasiae in lethargia et furia, quod est corruptio objecti, non subjecti. — Sed contra hoc quod dictum est, scientiam corrumpi per ægritudinem, est illud quod dicunt doctores, scientiam remanere in anima separata; quæ tamen magis corrumpi deberet per mortem quam per aliam minorem transmutationem. Propter quod videretur alicui, quod, cum dicitur scientiam corrumpi per ægritudinem, intelligitur quoad usum et actum: quia in parte sensitiva corrumpitur species, et aliqui habitus correspondentes, quos oportet de novo generari, si debeat in actum exire; sed essentia habitus intellectualis non corrumpitur, etc. — Sed, sustinendo dictum commune, potest dici quod ista stant simul, scilicet habitum scientiae in intellectu et virtutis in voluntate corrumpi per infirmitatem, non per mortem: nam per infirmitatem, vita durante, corrupto objecto intellectus, et per consequens voluntatis, quod est organum phantasiae, oportet habitum intellectualis cessare ab actu; sola autem cessatio actus corrumpit habitum ex actibus (α) acquisitum (sicut subtractio calefacientis remittit et tandem corrumpit calorem aquæ); et (β) hoc est in via, quando nihil sic firmatur in anima, quin possit corrumpi; sed in morte, sicut anima separatur a corpore incorruptibilis, sic in ipsa quaecumque tunc sunt, ut species et habitus, immobiliter firmantur; unde, sicut frequentia actuum non causat in ipsa habitum novum, sic nec cessatio actuum corrumpit habitum antiquum. Item, non est ibi cessatio actuum: quia omnis dispositio et perfectio disponit et perficit suum subjectum diversimode, secundum diversum modum essendi ejus; unde habitus et species animæ conjunctæ usum sive actum suum non habent sine specie fantastica, quia tunc est naturæ animæ intelligentis et volentis speculari phantasmata; sed, quando est separata, habet modum intelligendi et volendi conformem angelis, sicut modum essendi; unde tunc potest uti speciebus et habitibus suis sine phantasmate.

Tertio. Patet idem sic: Potest enim imaginari quod, sicut per consensum expressum causatur vinculum spirituale, quia significat conjunctionem Christi et Ecclesiæ spiritualem, et significando causat per consequens conjunctionem animorum, quam etiam significat ut rem contentam; sic per conjunctionem corporum sequentem, significantem conjunctionem Christi et humanæ naturæ, causatur

(α) *actibus*. — *habitibus* Pr.

(β) et. — *Om.* Pr.

vinculum corporale. Sicut ergo corruptitur visio, corrupto visibili ad quod est, vel subtracto ab ejus praesentia; sic, quia vinculum matrimoniale corporale et spirituale est ad alterum, in ordine ad actus vitae hujus mortalis, cui homo funditus moritur per mortem naturalem, inde est quod tunc corruptitur^(a) utrumque. Sed (b) per mortem civilem qua cogitat quae Dei sunt, tollitur spirituale, quod erat ad cogitandum quae mundi sunt: sicut, sublata intellectione, tollitur volito, etiam si non esset ab ea causata; quia est tale objectum, ad quod habet necessariam habitudinem; sicut scibile sublatum auferit scientiam. — Hæc Petrus, in forma.

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ 1. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Quantum ad tertium articulum, respondendum est objectionibus supradictis. Et quidem, quantum ad objecta Durandi contra primam conclusionem, sciendum est quod ipse, in suo primo opere, tenebat quod matrimonium non erat proprie sacramentum; sed, visis objectionibus qua contra scripta sua in hac materia per alios inducebantur, coactus fuit in ultimo opere cautius loqui, ut scilicet confiteretur matrimonium esse vere et proprie sacramentum, sed non univoce cum aliis sacramentis novæ legis. Sed adhuc ista coloratio non valet, sicut ostendit Petrus de Palude (dist. 26, q. 4), dicens: « Illi de prædicta opinione, ad probandum quod matrimonium non sit proprie sacramentum, arguunt ex diversitate hujus sacramenti ad alia. De quo, ut appareat quod male arguunt, sciendum in generali, quod per consimiles rationes posset probari nullum sacramentum esse sacramentum univoce cum aliis: quia non est aliquid sacramentum, quod non habeat aliquid sibi proprium, in quo differt ab omni alio; unde, si de illo sumatur major secundum quod convenit aliis, affirmative vel negative, et minor proportionaliter, concludetur non esse sacramentum; verbi gratia, ex parte ministri, susceptivi, materie, vel formæ. Nam, de baptismo, dicam quod omne sacramentum est aliud quam purum elementum corporale (ut patet inducendo in aliis a baptismo; et patet ratione, quia, cum sacramentum sit protestativum fidei,

quæ non est naturale quid, debet habere pro materia aliquid non naturale); sed baptismus habet pro materia elementum; ergo non est sacramentum. Præterea, omne sacramentum ministratur a ministro Ecclesie, etiam in necessitate, sicut patet de aliis; sed baptismus in extrema necessitate ministratur etiam a non sacerdote; ergo non est sacramentum. Similiter de confirmatione: quia sacramentum non habet nisi unam materiam correspondentem uni formæ; sed istud habet duplicem materiam; ergo, etc. Similiter, quia Papa mutat ejus ministrum, quod non facit in aliis. Tertio, de Eucharistia: quia omne aliud sacramentum consistit in usu materiae, et non ejus consecratione. Quarto, de pœnitentia: quia non habet materiam exteriorem, sicut habent alia. Quinto, de ordine: quia Papa in aliquibus mutat ministrum; et quia habet formam imperativam, quod non habet aliud sacramentum, et videtur contra rationem quod homo impere illa quæ non sunt a se sed a Deo. Sexto, de extrema unctione: quia habet formam solum deprecativam, quod non habet aliud aliud. Dicendum est ergo ad omnia ista, quod, sicut Christus est vere et proprie homo, licet aliquid habeat quod nullus aliis homo habet, et aliquo caret quo nullus aliis caruit, quia habet illa quæ sunt de essentia hominis vere et proprie, scilicet animam rationalem et corpus organicum, posita autem essentia rei, ponitur ipsa, omni alio remoto; ita septem sunt sacramenta novæ legis vere et proprie dicta, licet quodlibet habeat aliquid singulare vel caret singulari, quia, hoc non obstante, quodlibet est signum et causa gratiae, quod sufficit ad essentiam sacramenti. » — Hæc Petrus.

Item, ibidem: « Si, inquit, isti intelligent quod matrimonium non est ita perfectum sacramentum sicut alia, verum dicunt: quia, cum sacramenta novæ legis abundant a sacramentis veteris legis in causando potius quam in significando, illud est perfectius, quod magis causat gratiam; sed matrimonium inter alia minus causat gratiam, licet plus (a) significet; ergo simpliciter est imperfectius sacramentum inter omnia sacramenta novæ legis. Sed æque proprie est sacramentum novæ legis sicut aliquid aliorum: sicut asinus est proprie animal sicut homo, licet non sit æque perfectum animal; quia illa quæ sunt de ratione animalis, puta substantia animata sensibilis, æque proprie competit asino sicut homini, licet non æque perfecte; quia esse substantiam, et habere animam et sensum, non convenit asino metaphorice sicut nec homini, sed proprie utrique, sed non est substantia æque perfecte anima et sensus in bruto sicut in homine; ita et in proposito; quia de ratione sacramenti novæ legis non sunt nisi duo, scilicet quod sit causa et signum

(a) corruptitur. — corruptit Pr.

(b) Sed. — Sic igitur Pr.

(a) plus. — prius Pr.

gratiæ; utrumque autem non æquivoce, nec metaphorice, sed proprie convenit matrimonio, licet non æque perfecte sicut aliis; ergo est vere et proprie sacramentum sicut alia, licet non æque perfectum. Juristæ autem, et qui negant matrimonium conferre gratiam, non possunt salvare matrimonium esse sacramentum novæ legis. » — Hæc Petrus, et bene, et conformiter dictis sancti Thomæ, 4 p., q. 29^a, art. 4, ubi arguit sic, quarto loco : « Persona in hominibus et angelis non significat relationem, sed absolutum aliquid. Si ergo in Deo significaret relationem, diceretur æquivoce de Deo, et hominibus, et angelis. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod diversa ratio minus communis non facit æquivocationem in magis communis. Licet enim equi et asini sit alia propria diffinitio, tamen univocantur in nomine animalis; quia communis diffinitio animalis convenit utriusque. Unde non sequitur quod, licet in significatione personæ divinæ contineatur relatio, non autem in significatione personæ angelicæ, vel humane, quod nomen personæ æquivoce dicatur. » — Hæc ille. — Item, q. 43, art. 10, in solutione primi, sic dicit : « Nominum multiplicitas non attenditur secundum nominis prædicationem, sed secundum significationem. Hoc enim nomen *homo*, de quoemque prædictetur, sive vere, sive false, uno modo dicitur. Sed tunc multipliciter diceretur, si per hoc nomen *homo* intenderemus significare diversa : puta, si unus homo intenderet significare per hoc nomen *homo* illud quod vere est homo, alius intenderet significare eodem nomine lapidem, vel aliquid aliud, etc. » Item, *de Potentia Dei*, q. 9, art. 4, arguit sic, sexto loco : « Nullum nomen significat res diversorum generum, nisi æquivoce; acutum enim æquivoce dicitur in saporibus et magnitudinibus. Manifestum est autem quod *persona* in angelis et hominibus non significat relationem, sed aliquid absolutum. Si ergo in Deo significet relationem, erit æquivoce dictum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod hoc quod *persona* aliud significat in Deo et homine, pertinet ad diversitatem suppositionis magis quam ad diversam significationem hujus communis quod est *persona*. Diversa autem suppositio non facit æquivocationem, sed diversa significatio. » — Hæc ille. — Et ad pleniorum intellectum ejus, in principali response articuli, sciendum quod beatus Thomas sic dicit : « Sciendum quod propria ratio nominis est quam significat nomen, secundum Philosophum, 4. *Metaphysicae* (t. c. 28). Illud autem cui attribuitur nomen, si sit recte sumptum sub re significata per nomen, sicut determinatum sub indeterminato, dicitur supponi per nomen; si autem non sit recte sumptum sub re nominis, dicitur copulari (a) per

nomen. Sicut hoc nomen *animal* significat substantiam animatam sensibilem, et *albus* significat colorato disgregativum visus; *homo* vero recte sumitur sub ratione animalis, sicut determinatum sub indeterminato (est enim homo substantia animata sensibilis tali anima, scilicet rationali); sub albo vero, quod est extra essentiam ejus, non directe sumitur; unde homo supponitur nomine animalis, copulatur vero nomine albi. Et quia inferius quod supponitur per nomen commune, se habet ad commune sicut determinatum ad indeterminatum, id quod erat suppositum, fit significatum, determinatione apposita ad commune: animal enim rationale significat hominem. Sed sciendum quod aliquid significatur duplum: uno modo formaliter, alio modo materialiter. Formaliter quidem significatur per nomen id ad quod significandum nomen est principaliter impositum, quod est ratio nominis; sicut hoc nomen *homo* significat aliquid compositum ex corpore et anima rationali. Materialiter vero significatur per nomen id in quo talis ratio salvatur; sicut hoc nomen *homo* significat aliquid habens cor et cerebrum et hujusmodi partes, sine quibus non potest esse corpus animatum anima rationali. Secundum hoc ergo dicendum est quod hoc nomen *persona* communiter sumptum nihil aliud significat quam substantiam individuum rationalis naturæ. Et quia sub substantia individua rationalis naturæ continetur substantia individua, id est incommunicabilis et ab aliis distincta, tam Dei quam hominis quam angelii, oportet quod persona divina significet subsistens distinctum in natura divina, sicut persona humana significat distinctum subsistens in natura humana. Et haec est formalis significatio tam personæ divinae quam personæ humanae. Sed quia distinctum subsistens in natura humana non est aliquid nisi per individuum materiam individuatim et ab aliis distinctum, ideo oportet quod hoc sit materiale significatum, enim dicitur persona humana. Distinctum vero incommunicabile in natura divina non potest esse nisi relatio; quia omne absolutum est commune et indistinctum in divinis. Relatio autem in Deo idem est secundum rei quod ejus essentia. Et sicut essentia in Deo idem est et habens essentiam, ut Divinitas et Deus; ita idem est relatio et quod per relationem referatur. Unde sequitur quod idem sit relatio et distinctum in natura divina subsistens. Patet ergo quod persona (2) communiter sumpta significat substantiam individuum rationalis naturæ; persona vero divina formalis significatio significat distinctum subsistens in natura divina. Et quia hoc non potest esse nisi relatio vel relativum, ideo materialis significatio significat relationem vel relativum. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod quandocumque aliquod nomen dicitur de multis secundum

(a) *copulari*. — *copula* Pr.(2) *divina*. — Ad Pr.

eamdem formalem et communem significationem, quorum tamen est alia et alia significatio, vel ratio propria, vel materialis, non ideo tale commune nomen dicitur de illis multipliciter aut equivoce; nec propter diversitatem talium propriarum vel materialium significationum impeditur, nisi aliud interveniat, univocatio talis communis nominis; sicut est in proposito, cum hoc nomen *sacramentum novae legis* dicatur de matrimonio et aliis sacramentis secundum unam et eandem communem formalem rationem et significationem, licet matrimonium habeat aliqua propria, quae non convenienter aliis sacramentis. Et similiter, licet, cum hoc commune *sacramentum* dicatur de matrimonio, interveniat alia suppositio et alia significatio materialis quam eum dicitur de baptismo, confirmatione aut aliis, non tamen propter hoc sequitur quod hoc nomen *sacramentum novae legis* in equivoce vel minus *matrimonium* significare possit, ut hoc in Ecclesie sacramentis. Unde logica arguit in hac materia non transcendit in altitudine parvum pontem Parisiensem.

Nunc dicendum restat ad singulas ejus rationes in particulari. Et quidem ad primam respondet Petrus (dist. 26, q. 4), dicens quod « illa quae exterius aguntur in sacramentis, inquantum ad sacramentum pertinent, sunt signa non naturalia, sed instituta; secundum se autem nihil prohibet ea esse res naturales: sicut aqua, et ablutio aquae, est res naturalis; sed quod ipsa sit signum ablutionis a peccato, actu non habet a natura, sed tantum aptitudine, a Deo autem actu; quod autem sit causa illius ablutionis, totaliter habet a Deo. Et similiter, consensus et verba secundum se sunt a natura et jure naturali; sed secundum quod sunt sacramenta, a Deo. Nam conjunctio maris et feminæ non habet a natura quod actu significet conjunctionem Christi et Ecclesie; alias quicunque sciret istam, sciret illam, sicut videns sumum cognoscit ignem; cuius contrarium apparebat in Iudeis et Saracenis vel Paganis, in quibus sunt matrimonia, et non fides. Immo Adam in hoc non cognovit mysterium Christi et Ecclesie, nisi spiritu propheticæ. Et multo minus ex natura sua habent quod sint causa gratiae. Unde nec ante novam legem habuerunt, quamvis haberent rationem signi. A divina igitur institutione habent, ea que in matrimonio geruntur, quod sint sacramentum, et id unde formaliter sunt sacramentum; sed id quod sunt materialiter, habent a natura, sicut aqua, oleum et chrisma; quia assumere aliquid in materiam sacramenti non tollit ejus naturam, sed dat ei novam efficaciam. » — Hec Petrus. — Et concordat dictis sancti Thomæ, prima distinctione hujus, q. 1, art. 4, q^{ta} 5, in solutione quarti, ibi sic dicit: « Res sensibilis secundum predictam similitudinem ex naturali proprietate pluribus est conformis. Et ideo, quantum est de se, aequaliter potest quodlibet illo-

rum significare. Ad hoc ergo quod ad unum determinetur, et sit certa sua significatio, oportet quod accedat institutio, quæ determinet ad unum. Et sic representatio quæ est ex similitudine naturalis proprietatis, importat aptitudinem quandam ad significandum; sed determinatio et complementum significationis est ex institutione. » — Hec ille.

Verumtamen apparet inihi quod per praedicta non plene satisfit rationi Durandi. Quia praedicta non ostendunt quomodo matrimonium ex divina institutione sit signum sacrae rei contentæ in hoc sacramento, sed solum quomodo est signum rei sacrae non contentæ, scilicet conjunctionis Christi et Ecclesie. Et ideo scienda sunt duo: primo, quæ sit res significata et contenta; secundo, quomodo matrimonium ex institutione significet talen rem sacram contentam. Pro primo sciendum quod sanctus Thomas, præsenti distictione, q. 2, art. 1, in solu-

tione quarti, sic dicit: « Hoc Christi ad Ecclesiam non est res contenta in hoc sacramento, sed res significata et non contenta; et tales rem nullum sacramentum efficit; sed habet aliam rem contentam et significatam, quam efficit, ut dicetur. Magister autem posuit rem non contentam: quia erat hujus opinionis, quod non haberet aliquam rem contentam. » — Hec ille. — Et, in solutione quinti argumenti, subdit: « In hoc sacramento sunt illa tria: quia sacramenta tantum sunt actus exterius apparentes; sed res et sacramentum est obligatio quæ innaseitur viri ad mulierem ex talibus; sed res ultima contenta est effectus hujus sacramenti; non contenta autem est res quam Magister determinat. » — Hec ille.

Verum quia dici potest quod illa obligatio, quæ est res et sacramentum, naturaliter significatur per verba consensum exprimentia, et non ex divina institutione, ideo nondum est plene satisfactum. Ideo, secundo loco, sciendum est quod talis obligatio, quæ est res et sacramentum, significatur per exteriora naturaliter, ut est obligatio, sicut bene probat arguens; sed non significatur naturaliter, sed solum ex divina institutione, inquantum est sacra, et actu sacrans hominem. De hoc, in simili, sanctus Thomas, 3 p., q. 60, art. 2, sic dicit: « Signa dantur hominibus, quorum est per nota ad ignota pervenire. Et ideo proprie dicitur sacramentum, quod est signum alicujus rei sacre ad homines pertinentis: ut scilicet proprie dicatur sacramentum, secundum quod nunc de sacramentis loquimur, quod est signum rei sacrae, inquantum est sanctificans hominem. » — Hec ille. — Item, in solutione primi argumenti, sic dicit: « Creatura sensibiles significant quid sacrum, scilicet sapientiam et bonitatem divinam, inquantum sunt in seipsis sacra; non autem inquantum nos per ea sanctificamur. Et ideo non possunt dici sacramenta, secundum quod nunc loquimur de sacramentis. » — Hec ille. — Ex quibus patet quod, in quolibet

sacramento novae legis, ea quae exterius aguntur, significant ex institutione divina aliquod sacramentum ut sacramens et contentum in ipso sacramento; qualem significationem non habet ex naturali proprietate. Consimile dicit, prima distinctione (α) hujus, q. 4, art. 1, q^{ta} 1, in solutione secundi, ubi sic dicit: « Res sensibiles non sunt signa divinorum ut sunt sacramentia, sed ut sunt in seipsis sacra. Sacramentum autem debet intelligi signum rei sacre ut est actu sacramens. Et ideo non oportet quod omnes res sensibiles sint sacramenta. » — Hæc ille. — Item, in solutione tertii, sic dicit: « Quamvis serpens æneus esset signum rei sacrae sacramentis, non tamen inquantum sacramens est actu: quia non ad hoc adhibebatur ut aliquis sanctificationis effectus perciperetur, sed soli effectus exterioris curationis. Et similis est ratio de imagine crucis, que ponitur tantum ad representandum. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod dictum fuit. Secundo, sequitur quod, si matrimonium non aliter sit sacramentum nisi quia est rei signum, modo quo dicit arguens, tunc non plus habet rationem sacramenti quam sacramenta veteris legis, aut quam serpens æneus, vel imago crucifixi; quod falsum est, quia tunc non deberet plus connumerari sacramenta novæ legis, quam predicta.

Ad secundum respondet Petrus (ibid.), dicens quod « matrimonium habet formam distinctam a materia: quia verba sunt forma, et contrahentes sunt materia. Nec distinguitur hic materia *in qua*, id est, suscipiens, et materia *ex qua*, sicut in Eucharistia et aliis. Quia matrimonium est contractus personarum, et non rerum, ut dicunt iuristæ. Unde sicut in contractibus rerum, res que transferuntur per conventionem (ε) ipsam, sunt materia, sic corpus quod transfertur quoad potestatem, est materia in matrimonio: quia cum dico, *Accipio te in meam*, quasi transvero corpus meum in potestatem. Et sicut cum aliquis vendit se ad pretium participandum, est vera venditio, et tamen venditio requirit materiam distinctam a forma, que est expressio consensus, quia ipsem qui transfert seipsum, est illa materia; ita et hic. — Vel potest dici quod, sicut in Eucharistia est duplex forma, et duplex materia, unum tamen sacramentum; sic et hic, cum dicitur, *Accipio te in meam et do tibi me ipsum in vicum*; est una forma, scilicet verba, et una materia *ex qua*, scilicet ipse qui loquitur, vel corpus ejus, et alia materia *in qua*, id est, objectum in quod transit, sicut cum dico, *Hoc est corpus meum*; et ulterius, quando illa ait, *Accipio te in meum et do tibi me in uxorem*, est forma verbum, et materia *ex qua* ipsa loquens, et materia *in qua* recipiens. Et sic diversis respectibus unum est formale respectu alte-

rius. » — Hæc Petrus, et satis probabiliter. — Sed in aliquibus non videtur sequi viam sancti Thomæ, sicut in hoc quod dicit materiam in sacramento esse ipsas personas, vel corpora contrahentium. Nam sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 1, arguit sic, secundo loco: « Sacramentum, secundum Hugonem (*de Sacramentis*, lib. 1, part. 9, cap. 2), est materiale elementum. Sed matrimonium non habet pro materia aliquod materiale elementum. Ergo non est sacramentum. » — Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod sacramentum matrimonii perficitur per actum ejus qui sacramento illo utitur, sicut pénitentia. Et ideo, sicut pénitentia non habet aliam materiam nisi ipsos actus sensui subjectos, qui sunt loco materialis elementi, ita est de matrimonio. » — Hæc ille.

Dicitur ergo ad argumentum, quod bene probat quod materia, et elementum extrinsecus appositum, in sacramento matrimonii et in aliis aequivoce dicitur, et non univoce, si loquamus de propria ratione hujus vel illius materiae, et de significato materiali elementi et materie sacramenti. Sed, loquendo de communis et formalis significato elementi et materie sacramentalis, non est ibi aequivocatio, sed sufficiens univocatio. Quod patet: quia communis et formalis significatio elementi sacramentalis, est quod sit visibilis forma invisibilis gratiae; hoc autem commune est materie omnium sacramentorum. De hoc beatus Thomas, prima distinctione hujus, q. 1, art. 1, in solutione quinte questiunculae, que est: Utrum diffinitio Hugonis de sancto Victore, que est talis: *Sacramentum est corporale vel materiale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex institutione significans, ex similitudine representans, ex sanctificatione invisibilem gratiam continens*, sit competens. In solutione enim illius quæstiunculae, sic dicit: « Dicendum quod diffinitio Hugonis de sancto Victore eadem est cum diffinitione quam Magister ponit in littera; hoc excepto, quod addit causam significationis, que est institutio, et causam efficientie, que est sanctificatio. Idem est enim dictu, *materiale elementum exterius oculis suppositum, ex institutione significans, quod invisibilis gratiae visibilis forma; et ex similitudine representans*, idem est ei (ε) quod dicitur, *ut imaginem gerat; et ex sanctificatione invisibilem gratiam continens*, idem est ei quod dicitur, *ut causa existat*. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit: « Elementum accipitur communiter pro quolibet corporali visibili, sive sit elementum simplex, sive elementatum. Et utiliter tali modo loquendi, propter verbum Augustini, qui dicit (in Joan., tract. 80): *Accedit verbum ad elementum, et fit sacramentum*. In baptismo enim, qui est sacramentorum janua, mate-

(α) distinctione. — Om. Pr.

(ε) conventionem. — conjunctionem Pr.

(α) idem est ei. — id enim Pr.

ria est elementum simplex. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod, licet materiale elementum quod applicatur matrimonio, vel opus operatum extrinsecus appositum suscipientibus matrimonium, sit alterius rationis proprie et distincte quam materiale elementum quod applicatur exterius in aliis sacramentis, et applicatio fiat per alios applicantes, et tam in presentia quam in absentia, et alio modo, secundum locum vel tempus et hujusmodi circumstantias, ex hoc non impeditur univocatio sacramenti hujus ad alia : quia omnia convenient in una communi ratione sacramenti, et in uno formaliter significato; licet differant quantum ad proprias rationes et significata materialia, et quantum ad id quod supponitur per nomen. Cujus ratio patet ex predictis.

Dicitur ulterius, quod, posito quod illa diffinitio sacramenti quam ponit Hugo, non competenter univoce matrimonio et aliis sacramentis, sufficit quod diffinitio quam ponit Magister (*4. Sentent.*, dist. 1), univoce dicatur de illis, scilicet quod *sacramentum est invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut ejus imaginem gerat, et causa existat*. Et ideo non oportet multum curare de diffinitione Hugonis in proposito : quia est fallacia consequentis arguere negative ab illa diffinitione ad diffinitionem sacramenti in communi. Et sic patet ad omnes replicas inductas contra solutionem in argumento recitatum.

Utrum autem in hoc sacramento idem sit forma et materia diversis respectibus, vel ipsa verba contrahentium sint tantum forma, et alii actus exteriores sint materia, non multum variat propositum: quia utrumque videtur satis probabile. Tamen de hoc aliquid dicetur in sequentibus, potissimum in solutione septimi.

Ad tertium, negatur minor. Dicitur enim quod matrimonium confert gratiam non habenti, nisi ponat obicem. Nec valet probatio in oppositum. Quia non sola illa sacramenta quæ ordinantur ad remissionem culpæ, conferunt gratiam non habenti; immo alia, ut patet de Eucharistia, ordine, confirmatione. Et generaliter de ratione sacramenti novæ legis est quod sit invisibilis gratiæ visibilis forma, ita ut ejus imaginem gerat, et causa existat. Et de hoc videbitur in solutione argumentorum contra secundam conclusionem. Unde illa probatio nihil valet.

Dicitur secundo, quod matrimonium augeret gratiam prius habenti. Nec valet hujus improbatio, expresse falsum assumens, scilicet quod continentibus existentibus in gratia, et postea nubentibus, gratia non augeatur. Et cum dicitur quod melius est continere quam nubere, etc., — parum valet ad propositum : quia Apostolus ibi facit comparationem inter duos status, vel duo genera actuum, vel duas partes castitatis et temperantiae; non autem

inter unum statum et sacramentum, potissimum quoad causalitatem gratiæ. Sacramentum enim matrimonii confert aliquam gratiam ex opere operato, quam non confert status continentiae illo modo, licet mereatur gratiam ex opere operante majorem quam status nuptialis. Quod qualiter fiat, ostendit sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 2, art. 3. Arguit enim sic, tertio loco : « Gratia ordinata contra vulnus peccati necessaria est omnibus habentibus illud. Sed in omnibus invenitur concupiscentiae vulnus. Si ergo in matrimonio detur gratia contra vulnus concupiscentiae, deberent omnes homines matrimonium contrahere; et sic esset valde stultum a matrimonio abstinere. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum quod illa ratio procederet, nisi contra concupiscentiae morbum possset aliquod efficacius remedium adhiberi. Adhibetur autem majus remedium per opera spiritualia, et carnis mortificationem, ab illis qui matrimonio non utuntur. » — Hæc ille. — Item, quarto loco, arguit sic : « Infirmitas non accipit medicamentum ab eodem a quo accipit intensionem. Sed concupiscentia intenditur per actum matrimonii : quia, sicut dicit Philosophus (*3. Ethicorum*, cap. ult.), insatiabilis est concupiscentiae appetitus, et per operationem congruam augetur (z). Ergo in matrimonio non confertur remedium gratiæ contra concupiscentiam. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum quod contra concupiscentiam potest præstari remedium duplice. Uno modo, ex parte ipsius concupiscentiae, ut reprimatur in sua radice; et sic remedium præstat matrimonium per gratiam quæ confertur in eo. Alio modo, ex parte actus. Et hoc modo duplice. Uno modo, ut actus ad quem concupiscentia inclinat, turpitudine careat; et hoc præstatur per bona matrimonii, quæ honestant carnalem concupiscentiam. Alio modo, ut actus turpitudinem habens impediatur; quod fit ex ipsa natura actus : quia, dum concupiscentiae satisfit in actu conjugali, ad alias concupiscentias non ita incitat; propter quod dicit Apostolus (*1. Corinth. 7, v. 9*) : *Melius est nubere quam uni*. Quamvis enim opera concupiscentiae considerata secundum se nata sint concupiscentiam augere, tamen, secundum quod ratione ordinantur, ipsam reprimunt : quia ex similibus actibus similes relinquuntur habitus et dispositiones. »

— Hæc ille. — Ex quibus patet quod, licet actus continentis sint efficaciores ad concupiscentiam reprimendam quam actus matrimonialis, nihilominus sacramentum matrimonii confert gratiam ex opere operante reprimentem concupiscentiam; quam non haberet continens antequam nuberet, et quam continentiae status non conferebat. Item, sicut dicit sanctus Thomas, 2^a 2^o, q. 152, art. 4, in solutione

(z) augetur. — Om. Pr.

secundi: « Licet virginitas sit melior quam continencia conjugalis, potest tamen conjugatus esse melior quam virgo, dupli ratione. Primo quidem, ex parte ipsius castitatis: si scilicet illè qui est conjugatus, habeat animum magis paratum ad virginitatem servandam, si oporteret, quam ille qui est actu virgo. Unde Augustinus instruit virginem, in libro *de Bono conjugali* (cap. 22), ut dicat: *Ego non sum melior quam Abraham*; sed ut dicat: *Melior est castitas cœlibum quam castitas nuptiarum*. Et rationem postea subdit, dicens: *Quod enim ego nunc ago, melius illi egissent, si tunc agendum esset; quod autem illi egerunt, ego non sic agerem, etiam si nunc agendum esset*. Secundo, quia forte ille qui non est virgo, habet aliam excellentiorem virtutem. Unde Augustinus, in libro *de Virginitate* (cap. 44): *Unde seit virgo, quamvis sollicita quæ Dei sunt cogitet, ne forte, propter aliam incognitam sibi infirmitatem, non sit matura martyrio; illa vero mulier cui se præferre gestiebat, jam possit bibere calicem Dominicæ passionis?* » — Hæc ille. — Item, in solutione primi, sic dicit: « Meritum non solum penitatur ex genere actus, sed magis ex animo operantis. Habuit autem Abraham animum sic dispositum, ut paratus esset virginitatem servare, si esset tempori congruum. Ex quo meritum continentie conjugalis in ipso æquatur merito continentie virginalis in Joanne, respectu premii substantialis, non autem respectu premii accidentalis. » — Hæc ille.

Petrus vero de Palude (dist. 26, q. 4) ad hoc argumentum in virtute sic respondet, dicens quod « per matrimonium homo non excidit a statu perfectionis, sed per actum matrimonii; ut patet in beata Virgine, cujus perfectio non est iuncta per matrimonium. Vel dicendum quod sacramenta subveniunt homini secundum omnem statum. Pœnitentia enim non facit hominem decideri a gratia vel perfectione; sed, supposito quod exciderit, pœnitentia ipsum excipit, ne damnetur. Et sic, sicut pœnitentia, licet non sit nisi peccantium et de peccatis, non tamen propter hoc facit peccare, sed, quantum est possibile, supposito peccato, facit ad innocentiam redire; sic matrimonium, licet quoad actum suum non sit nisi imperfectorum, et cum imperfectione, tamen, hoc supposito, quantum possibile est, facit ad perfectionem tendere, et minus ab ea declinare. » — Hæc ille, et bene, præter hoc quod dicit, quod actus matrimonii non est nisi imperfectorum. Hoc enim falsum est, ut patet ex dictis. Sed bene verum est quod talis actus pro tempore isto repugnat statui perfectionis. Quia, ut dicit sanctus Thomas, 2^a 2^o, q. 184, art. 4, in statu perfectionis proprie dicitur esse aliquis, « non ex hoc quod habet actum dilectionis perfectæ, sed ex hoc quod obligat se perpetuo, cum aliqua solemnitate,

fate, ad ea quæ sunt perfectionis (a). Contingit etiam quod aliqui se obligant, qui non servant, et aliqui implent ad quod non se obligaverunt: ut patet, Matth. 21 (v. 28 et seq.), de duobus filiis, quorum unus patri dicenti, *Operare in vinea*, respondit, *Nolo*, postea abiit, alter respondens ait, *Eo*, et tamen non ivit. Et ideo nihil prohibet aliquos esse perfectos; qui non sunt in statu perfectionis; et aliquos esse in statu perfectionis, qui non sunt perfecti. » — Hæc ille. — Patet ergo quod nec matrimonii sacramentum, nec actus ejus, derogat nec repugnat de per se perfectioni, quæ consistit in perfecta dilectione Dei et proximi; sed statui perfectionis derogat, secundum communem cursum, non sacramentum matrimonii, sed actus ejus; et quod argumentum solum concludit ex dicto Apostoli, quod potior est castitas continentis quam conjugis, non autem quod sit perfectior charitas vel gratia, quia perfectio non consistit essentialiter in castitate, sed in charitate, ut patet ex dictis sancti Thomæ, ubi supra (2^a 2^o, q. 184, art. 1 et 3); nec virginitas est potissima virtutum, sed potissima pars temperantiae vel castitatis dici potest, ut dicit sanctus Thomas, ubi supra (2^a 2^o, q. 152, art. 5).

Ad quartum respondet Petrus (dist. 26, q. 4), dicens quod « in illis sacramentis quæ habent pro materia vel forma aliquid non subjectum humano statuto, humanum statutum nihil potest mutare, sicut est in baptismo et Eucharistia: non enim non aqua fit aqua, nec non panis, aut econtra, humano verbo. Sed in illis sacramentis in quibus materia et forma fundantur super illud quod jure naturali subjacet statuto humano, sicut fundamentum potest mutari per hominem, ita et fundatum. Et sic est hic. Quia matrimonium prout est sacramentum novae legis, præsupponit matrimonium prout est quidam contractus personarum de jure naturali, et postea superaddit illud quod est proprium sacramentum novae legis, scilicet significationem et causitatem. Si autem matrimonium non esset sacramentum, subasset statuto humano, sicut et contractus rerum. Homo enim, quod est, communitatis est; etiam debet se exponere morti pro republica, si oportet. Unde, sicut statutum humanum potest facere quod non valeat alienatio per se facta de rebus ejus, utputa facta a furioso, prodigo vel minore; ita et potest facere quod non valeat alienatio de seipso. Sicut enim servus non potest dare id quod habet, ita nec seipsum dare vel vendere sine domini voluntate; sic et homo, qui est membrum (b) communitatis, contra justam ordinationem rectoris non potest se dare in servum vel vasallum, nec per consequens in maritum. Sicut ergo pistor potest mutare materiam sacramenti Eucharistie,

(a) *perfectionis. — imperfectionis* Pe.

(b) *qui est membrum. — Om. Pr.*

quia illa materia est panis, et ipse potest facere de pane non panem, et e converso; sic, quia in matrimonio est homo potens dare potestatem corporis sui, Ecclesia, quae potest hanc potestatem habentia auferre, et cui abstulit rursus dare, potest sic per accidens mutare materiam sacramenti. Sicut etiam, quia materia confirmationis et extremæ unctionis est oleum consecratum, et chrisma consecratum consecratione per Ecclesiam celebrata, sine determinatione ritus a Christo, potest, ex parte consecrationis sibi subjectæ, Ecclesia materiam mutare; quia potest de oleo consecrato facere non consecratum, per solam admixtionem, et similiter de chrismate; et similiter potest statuere quod oleum desineret esse consecratum. Sed in consecratione Episcopi, quæ sacramentum est, creduntur aliqua verba esse substantialia, et a Christo tradita, quæ mutari non possunt quoad substantiam. » — Hæc ille, et bene, concorditer sancto Thomæ, trigesimaquarta distinctione hujus, q. 1, art. 1, in solutione quarti, ubi sic dicit: « Personæ illegitimæ ad matrimonium contrahendum dicuntur ex eo quod sunt contra legem qua matrimonium statuitur. Matrimonium autem, inquantum est in (α) officium naturæ, statuitur lege naturæ; inquantum est sacramentum, statuitur jure divino; inquantum est in officium communitatis (ε), statuitur lege civili et Ecclesiæ. Et ideo ex qualibet dictarum legum potest aliqua persona ad matrimonium effici illegitima. Nec est simile de aliis sacramentis, quæ sunt sacramenta tantum. Sed quia lex naturalis secundum diversos status recipit diversas determinations, et jus positivum etiam variatur secundum diversas hominum conditions, in diversis temporibus diversas personas illegitimat. » — Hæc ille. — Item, dist. 40, q. 1, art. 4, in solutione secundi, sic dicit: « Matrimonium non tantum est sacramentum, sed etiam in officium. Et ideo magis subjacet ordinationi ministrorum Ecclesiæ quam baptismus, qui est sacramentum tantum: quia, sicut contractus et officia humana determinantur legibus humanis, ita contractus et officia spiritualia lege Ecclesiæ. » — Hæc ille.

Ad quintum respondet Petrus (dist. 26, q. 4), quod « matrimonium, prout est sacramentum novæ legis, imprimit ornatum, qui vocatur vinculum, vel nexus, et non solum est relatio rationis, sed res absoluta, disponens ad gratiam, prout habet spiritualiter persicere, ut sciat vas suum possidere, etc. (1. Thessal. 4, v. 4). Unde, sicut, si confirmetur quis vel ordinetur ante baptismum, non imprimitur character, et ideo non est sacramentum, et (γ) nihil est actum, sed, si velit recipere characterem,

totum est iterandum; ita per matrimonium contrahendum ante baptismum, nihil reale est impressum; et sic non est formaliter et proprio sacramentum, quod semper realem effectum habet. Sed si post baptismum de novo consentiant, vel in primo consensu persistant, tunc imprimitur ornatus ille, et gratia, nisi ponant obicem. Et sic matrimonium non est sacramentum ante baptismum, sicut nec aliud, licet concurrent essentialia sacramenti: sicut etiam, quamvis omnia concurrent ad confirmationem et ordinem ante baptismum, quæ post, non est ordo nec confirmatio, quia subjectum omnis sacramenti novæ legis alterius a baptismo est homo baptizatus; unde, sicut si fieret bruto quidquid sit homini in confirmatione et ordinatione, nihil esset actum, sic de non baptizato. Sed quia matrimonium, praeter hoc quod est sacramentum, est aliquid aliud, sicut ante baptismum esset vera unctione olei vel chrismati, sed non confirmatio vel ordo, et si confirmatio esset æquivocum ad utrumque, tunc esset confirmatio uno modo, alio modo non; sic, quia matrimonium est nomen contractus et nomen sacramenti, ideo est verum matrimonium ante baptismum, prout dicit contractum personarum, sed non prout dicit sacramentum. Quod autem dicit Augustinus (*de Bono conjugali*, cap. 18), quod baptismus non solvit bigamiam, quia *de sacramento agitur, non de peccato* (α), accipit sacramentum materialiter et aptitudinaliter, non formaliter et actualiter. Hoc autem patet sic: quia, si conjugum infidelium unus convertatur ad fidem sine alio, et conversus potest contrahere; ergo non erat inter eos reale vinculum, quod fuissest, si post baptismum contractum fuissest. Unde matrimonium esse ratum post baptismum, ponit aliquid absolutum, et non purum ens rationis, quale solum erat per matrimonium ut est aliquid humanum. » — Hæc Petrus, et bene. — Cum autem replicat arguens contra hoc, et contra responsionem ibi datam, quod tale matrimonium non est magis sacramentum post baptismum quam prius, quia in omni sacramento opus est novo facto, etc.; — dicitur quod verum est, accipiendo factum communiter pro quacumque actione, immidente vel transeunte. Et ideo, in casu argumenti, oportet quod tales habeant novum consensum, vel novam electionem et approbationem antiqui consensus, et novam expressionem consensus per verba vel aliud equipollens verbis; aliter enim solus baptismus non faceret matrimonium antiquum esse denno sacramentum novæ legis. — Cum autem dicit ulterius, quod matrimonium fuit ante omnem legem, etc., — solutum est prius (ad quartum); quia verum est prout matrimonium dicit officium vel contractum, non autem prout est sacramentum. — Quid autem dicit, quod est præcise de dictamine

(α) in. — Om. Pr.

(ε) a verbis statuitur lege naturæ usque ad communitatis, om. Pr.

(γ) ideo. — Ad. Pr.

(z) Cfr. can. 2, Dist. XXVI.

rationis naturalis, etc., — solutum est supra (ad primum) : quia hoc penitus falsum est; non enim naturali ratione, sed fide tenetur quod matrimonium ordinetur ad reprimendum concupiscentiam, et conferat gratiam, et multa alia, de quibus supra (ad primum et ad tertium) dictum fuit. — Utrum autem sit verum quod dicit Petrus, de illo ornatu (α) absoluto disponente ad gratiam, dubium est. Sed de hoc videbitur in sequentibus.

Ad sextum respondet Petrus (dist. 26, q. 4), dicens quod major illius est neganda : quia necessitas non facit sacramentum ministrari a non sacerdote. Quia baptizatus in mortali moriens attritus plus indiget poenitentia quam catechumenus sanus baptismō : quia nec est in periculo mortis, et si moreretur, salvaretur baptismō flaminis; iste autem, nisi vi clavum attrito fiat sibi contritio, damnabitur. Et si dicatur quod hoc accidit, quia potest conteri, si vult, — non valet. Quiā ponatur quod postquam est confessus attritus, non contritus, laico, perdit usum rationis; tunc non potest conteri. Nec potest ei subveniri nisi per absolutionem : quia nec potest communicare, quia nec vult os aperire, vel non habetur Eucharistia; vel non potest inungi, quia deest sacerdos; tunc ergo ita est ei necessaria absolutio, sicut parvulo baptismus. Et tamen non potest absolvī a non sacerdote, cum tamen parvulus possit baptizari a non sacerdote. Hoc ergo non est solum propter necessitatem. — Priuera, plus debet faveri necessitati communitatis, quam necessitati unius personae. Sed ordo, qui est necessarius communitati, in nulla necessitate potest conferri nisi ab ordinato : puta, si non esset in mundo aliquis Episcopus, nec aliquis sacerdos, non posset fieri Episcopus nec sacerdos a non Episcopo. Ergo causa illius non est necessitas. — Dicendum est ergo, quod illud sacramentum, cuius tota efficacia est ex materia et forma, non ex potestate ministri, illud potest conferri ab alio quam a ministro Ecclesie, in necessitate, et extra necessitatem, licet non debeat nisi in necessitate : sicut est de effectu Eucharistie in digne (ε) suscipiente; quia tota virtus causandi gratiam est in eo quod suscipitur, et, licet non debeat ministrari nisi a sacerdote, excepta necessitate, nisi tamen sit peccatum impediens a parte suscipientis, tantum sibi valet susceptum a laico quem credit suum curatum, quantum a vero (γ) curato. Ita est de baptismō, cuius tota virtus est materia et forma, et non in ministro; unde etiam extra necessitatem potest, sed non debet ministrari nisi a presbytero. Matrimonium autem est huiusmodi : quia ejus virtus non est in ministro Ecclesie. Et ideo non propter hoc quod non est necessarium (δ) (cum sit

necessarium communitati, sicut baptismus personae singulari), sed quia virtus ejus non est in ministro Ecclesie, potest ejus essentia haberi sine ministro. Sed forte non debet nisi in facie Ecclesie et per sacerdotem celebrari, si possit haber. Sin autem, potest sine peccato sine sacerdote contrahi, et non alia sacramenta, loquendo de potestate juris, hoc est, quia fundatur in jure naturali. Cætera vero quinque sacramenta quoad essentialē perfectionē requirunt virtutē ministri. Unde in nullo casu possunt sine illo celebrari, etiam extrema unctione, quae non debet dari nisi existenti in articulo necessitatis. » — Haec ille, et bene.

Potest tamen brevius dici, quod major argumenti solum habet verum quando sacramentum habet aliud pro materia vel forma ab actu suscipientis sacramentum. Sed ubi materia et forma sacramenti non sunt aliud ab actibus suscipientium, tunc non opertet sacramentum ministrari per ministrum Ecclesie; sed ipsem suscipiens potest conferre sacramentum. Sic autem est in matrimonio, ut dicetur.

Ad septimum patet responsio per predicta in solutione secundi argumenti. Dicitur enim quod, in sacramento matrimonii, personae contrahentes sunt loco materiæ, verba vero sunt loco formæ, secundum opinionem Petri. Vel, secundum opinionem sancti Thomæ, aëtus ipsorum contrahentium sunt loco materiæ et formæ. Quod potest quadrupliciter intelligi. Primo modo, ut dicatur quod verba unius sunt materia, et verba alterius consensum exprimentia ~~in~~ loco formæ : non tamen sic quod utrumque sit materia et forma; sed, sicut dicimus quod ultima unitas numeri est formalis ad omnes praecedentes, et aliae sunt materiales respectu ultimæ, sic, in matrimonio, verba conjugis primo proferentis sunt materia, et verba ultimo proferentis sunt forma. Nec mirum si ultima prolata dicantur formalia, cum sint completiva sacramenti; sicut ultima differentia compleat rationem speciei, et ultima syllaba significacionem dictio[n]is, vel totius praecedentis orationis; et sic de multis similibus. Alio modo, potest sic intellegi, ut dicatur quod, in sacramento matrimonii, consensus interior expressus aliquo modo, et sensibilis factus, se habet loco materiæ, et verba per quæ exprimitur, sunt loco formæ. Tertio modo, posset dici quod ipse actus loquendi se habet loco materiæ, et verba per illum actum formata et expressa se habent loco formæ : actus enim dicendi differt a verbo dicto realiter, cum primum sit actio, secundum sit qualitas; et subjectum unius quandoque differt a subjecto alterius; nam actus dicendi non est subjective extra dicentem; et tamen verba dicta per totum aerem diffunduntur. Quarto, posset dici quod actus ipse loquendi simul cum verbis sunt forma, reliqui vero actus concurrentes, præter verba, tenent vicem materiæ. Sed primi duo modi sunt magis ad mentem beati Thomæ : nam, ut supra

(α) *ornatus* — *ordinato* Pr.

(ε) *digne*. — *indigne* Pr.

(γ) *quantum a ver.* — *quam-a non* Pr.

(δ) *sit*. — Ad. Pr.

recitatum fuit, in solutione secundi, matrimonium non habet aliam materiam nisi ipsos actus contrahentium. Et similiter, dist. 26, q. 2, art. 1, in solutione primi, sic dicit : « Verba quibus consensus matrimonialis exprimitur, sunt forma hujus sacramenti; non autem benedictio sacerdotis, quae est quoddam sacramentale. » — Hæc ille. — Post predicta omnia, appareat mihi quod multum probabilius posset sustineri dictum Petri, quoad hoc quod, « in sacramento matrimonii, verba consensum exprimentia sunt loco formæ, corpora autem contrahentium, quæ mutuo in potestatem traduntur, sunt (α) loco materiae. Et hoc valet ad explanationem eorum quæ in prima distinctione (q. 4) dicta sunt de rebus et verbis sacramentorum. » — Hæc ille.

Ad octavum responsum est in solutione primi; quia fere idem sunt primum et octavum.

Ad nonum patet ex solutione quarti; quia fere idem sunt nonum et quartum, ut patet.

Ad decimum patet ex solutione tertii.

Ad undecimum respondet Petrus (dist. 26, q. 4), dicens quod « solutiones ibidem recitatae non sufficiunt. — Non quidem prima. Quia illud quod confert remedium contra peccatum, gratiam adjutricem conferendo ex opere operato, est sacramentum; cum hoc sit diffinitio ejus. Et hoc competit matrimonio: quia non ex natura actus confert gratiam, licet alias praebat remedium; sed ex divina institutione habet conferre gratiam adjutricem, ad hoc quod sciat unusquisque suum vas possidere in honore et sanctificatione (1. Thessal. 4, v. 4). Nec potest reddi ratio naturalis quare Deus dedit istis verbis quod ex opere operato conferant gratiam magis quam orationi dominice, quæ sanctior est, nec confert eam nisi ex opere operante. Nec ipsa benedictio et consecratio virginum, quæ plus sanctitatis videtur habere, confert gratiam ex opere operato, sicut istud. Unde, cum omne sensibile signum a Deo institutum in remedium contra peccatum, conferens gratiam adjutricem ex opere operato, et significans eam, sit sacramentum novæ legis, et matrimonium haec omnia habeat, secundum theologiam, sequitur quod est propriæ sacramentum. — Ad secundam solutionem quam dant, dicendum quod, licet ratio non sit multum efficax (quia multæ causæ sunt ecclesiastice, quæ non sunt de sacramentis, sed vel de sacramentalibus, vel de aliis), solutio tamen quam dant, quod error circa matrimonium non habet rempublicam temporaliter in rebus vel personis, non videatur valere: quia habet rempublicam partus incertus; et bonum matrimonii cedit in bonum civitatis, et, secundum hoc, est a jure civili (6), prout est in officium civitatis; et reipublicæ interest dotatas esse mulieres, et conjugatas, ad replendam liberis

civitatem, ff. *Soluto matrimonio*, l. 1; unde leges puniunt spurious et bastardos, nec admittunt ad dignitates. » — Hæc Petrus, et bene, præter hoc quod dicit de consecratione virginum, quod non conferat gratiam ex opere operato. Hujus enim oppositum visum fuit in præcedenti quæstione (α). — Et in veritate, solutio quam Durandus dat ad primam rationem, quæ est sancti Thomæ, derisibilis est: quia, si matrimonium non dat aliter remedium contra concupiscentiam quam ratione actus sui, sine quacumque collatione gratiæ, tunc, sicut recitatum est in probatione secundæ conclusionis, matrimonium novæ legis non plus esset sacramentum quam matrimonium veteris legis, vel quam matrimonium infidelium, quod est erronèum. — De solutione ad secundam rationem non euro, quia non est sancti Thomæ.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad omnia argumenta contra secundam conclusionem, præter ultimum, dicitur quod juriste frequenter false opinantur in theologica facultate, nisi sint instructi in eadem; sicut econtra puri theologi frequenter false opinantur in materia legum civilium et decretalium, nisi instructi fuerint in eisdem. Et de talibus juristis dici potest illud 1. *de Anima* (t. c. 53), non convenit *tectonicam* (6) *ingredi in fistulas* (γ). Motivum autem eorum peccat per fallaciam consequentis, vel secundum non causam ut causam. Non enim ideo licet dare pecuniam pro matrimonio contrahendo, quia matrimonium non confert gratiam, ut ipsi putant, sed propter aliud, ut docet sanctus Thomas, vigesimaquinta distinctione hujus, q. 3, art. 2, q^{la} 1, ubi arguit sic, secundo loco: « Matrimonium est quoddam sacramentum. Sed matrimonium aliquando contrahitur interveniente pactione de aliqua pecunia solvenda sine peccato. Ergo sacramenta licite possunt vendi. » Ecce argumentum. Sequitur responsio: « Dicendum, inquit, quod matrimonium non solum est sacramentum, sed etiam naturæ officium. Et ideo ex illa parte qua est sacramentum, in dispensatione ministrorum Ecclesiæ consistens, non cadit sub emptione. Unde, secundum canones, committit simoniā qui pro benedictione nubentium pecuniam exigit. Sed ex illa parte qua est in officium naturæ, nihil prohibet pro matrimonio pretium accipere, vel conditionem de re temporali accipienda interponere, sicut nec in aliis officiis civilibus et corporalibus. » — Hæc ille.

Ad dictum Magistri *Sententiarum*, dist. 2, respon-

(α) sunt. — sint Pr.

(β) *convenit tectonicam*. — *contingit textoriām* Pr.

(γ) *fistulas*. — *fistulis* Pr.

(6) *civili*. — *naturali* Pr.

det sanctus Thomas, in expositione litteræ, ubi sic dicit : « *Quorum alia in remedium*, etc. Sed contra. Quia omnia sacramenta novæ legis sunt in remedium, et conferunt gratiam. Ergo distinctio illa nulla est. — Et dicendum quod ista distinctio sacramentorum sumitur secundum illud ad quod principaliter ordinantur. Quamvis ergo omnia sacramenta (a) aliquo modo gratiam conferant, et in remedium sint, quædam tamen principaliter ordinata sunt in remedium contra aliquem specialem morbum, ut matrimonium contra concupiscentiam; quædam vero de sui prima intentione sunt ordinata ad remedium morbi, et ad gratiam, sicut baptismus, qui est spiritualis regeneratio, per quam vetus homo corrumperit, et novus generatur; quædam autem, quia gratiam præsupponunt, ordinantur ad gratiæ (b) perfectionem, sicut Eucharistia. Et sic intelligenda sunt verba Magistri. » — Hæc ille.

Cum autem dicit arguens, quod Papa habet penes se scripta juristarum opinantium in matrimonio non conferri gratiam, etc.; — dicitur quod argumentum bene probat quod illa opinio non est contra determinationem Romanæ Ecclesiæ; sed non probat quin sit contra dicta sanctorum doctorum ab Ecclesia approbatorum. Multæ autem tales opiniones contrarias dictis sanctorum Ecclesia Romana dissimulat, sicut patet de conceptione Beatae Mariæ, et multis aliis; cuius causam ignoro. Quod autem opinio juristarum sit contra dicta sanctorum, arguit sanctus Thomas, dist. 26, q. 2, art. 3, dicens : « Augustinus (super Genes. ad litteram, lib. 9, cap. 7) dicit quod matrimonium est ægrotis in remedium. Sed non est ægrotis in remedium, nisi in quantum aliquam efficaciam habet. Ergo habet aliquam efficaciam ad reprimendum concupiscentiam. Sed concupiscentiam non reprimitur nisi per gratiam. Ergo in matrimonio confertur gratia. » — Hæc ille.

De capitulis autem per dictos juristas allegatis, manifeste patet inspicienti ea quod non concludunt propositum eorum, sed omnino impertinenter adducuntur: sicut patet de cap. *Connubia*, et de cap. *Honorantur*, 32, q. 2; ex quibus nullo modo potest haberi quod sacramentum matrimonii non conferat gratiam: Similiter, nec ex cap. *Multi*, nec ex cap. *Sicut*, nec ex cap. *Quidquid invisibilis gratiæ*, etc., quæ allegat Apparatus Decreti super cap. *Honorantur*, 32, q. 2, et ponuntur, 1, q. 1, potest haberi propositum: quia auctoritates sanctorum ibidem adductæ asserunt in aliquibus sacramentiib; ibidem nominatis gratiam conferri; sed non negant gratiam conferri in aliis; nec in aliquo illorum fit expressa mentio de matrimonio.

(a) *omnia sacramenta*. — *divina Pr.*
(b) *gratiæ*. — *Ecclesiæ Pr.*

§ 3. — AD ARGUMENTA CONTRA TERTIAM CONCLUSIONEM

I. **Ad argumentum Aureoli.** — Ad argumentum Aureoli (a) contra tertiam conclusionem, et ad sequentia, dicitur primo, quod satis probabile est quod ex solo consensu conjugum, qui est subjective in voluntate, nulla relatio realis causetur in corpore illorum. Sed nihil prohibet ex tali consensu et contractu inito in fide Christi secundum formam Ecclesiæ, concurrente virtute divina, causari aliquam relationem realem in anima, vel in aliqua ejus potentia, quæ sit ex institutione divina proxima dispositio ad gratiam gratum facientem. Et hoc videatur esse de mente sancti Thomæ, distinctione vigesimaseptima hujus, q. 1, art. 2, in solutione primæ quæstiunculae, ubi sic dicit : « In omnibus sacramentis est aliqua spiritualis operatio, mediante materiali operatione, quæ eam significat; sicut per ablutionem corporalem in baptismō fiat ablutio interior spiritualis. Unde, cum in matrimonio sit quedam spiritualis conjunctio, in quantum matrimonium est sacramentum, et aliqua materialis, secundum quod est in officium naturæ et civilis vitæ, oportet quod mediante materiali fiat spiritualis virtute divina. Unde, cum conjunctiones materialium contractuum siant per mutuum consensum, oportet quod hoc modo fiat matrimonialis conjunctio. » — Hæc ille. — Item, ibidem, arguit sic, primo loco : « Sacramenta non sunt a voluntate humana, sed ab institutione divina. Sed consensus ad voluntatem pertinet. Ergo non est causa matrimonii, sicut nec aliorum sacramentorum. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod sacramentorum prima causa est divina virtus, quæ in eis operatur salutem; sed causæ secundæ instrumentales, sunt materiales operations, ex divina institutione efficaciam habentes; et sic consensus in matrimonio est causa. » — Hæc ille. — Item, ibidem, in solutione secundi, sic dicit : « Matrimonium non est ipse consensus, sed unio quedam ordinatorum ad unum, quam consensus facit. » — Hæc ille. — Item, dist. 26, q. 2, art. 3, in solutione secundi, sic dicit : « Sicut aqua baptismi simul cum forma verborum non operatur immediate ad gratiam, sed ad characterem; ita actus exteriores et verba exprimentia consensus, directe faciunt nexum quæmdam, qui est sacramentum matrimonii. Et hujusmodi nexus, ex virtute divinae institutionis, dispositio operatur ad gratiam. » — Hæc ille. — Ex quibus patet quod, secundum mentem ejus, consensus conjugum in fide Christi contrahentium matrimonii sacramentum, causat quædam spiritualem nexum, et quædam spiritualem conjunctionem et unionem inter illos, quæ principale est in sacramento matrimonii. Cum

(a) *argumentum Aureoli*. — *primum Pr.*

autem, secundum eum, forma spiritualis habens esse permanens sine fluxu non possit esse subjective in re corporali, oportet, secundum eum, dicere quod talis relatio nexus et conjunctionis sit in anima rationali. Iterum, cum sacramentum sit quid veraciter reale, oportet quod illa relatio sit realis, habens esse cessante omni actu intellectus creati, potissime cum sit effectus causae realis, et causa dispositiva ad effectum realem.

II. Ad argumenta Petri de Palude et aliorum. — Ad secundum, quod est Petri, et omnia sequentia, dicitur primo, quod nulla necessitas apparet ponendi talem ornatum absolutum, distinctum a nexu, vinculo et conjunctione relationis, quos ponit sanctus Thomas esse proximam dispositionem ad gratiam. Nec cogit probatio Petri : quia non omnis dispositio est de prima specie qualitatis, secundum doctrinam sancti Thomae. Quod patet : tum quia aliqua pura privatio potest esse dispositio ad formam, ut patet de remotione obstaculi inter solem et aerem; tum quia ratio propinquitatis potest esse dispositio ad lucem et calorem; tum quia aliqua dispositio quae est qualitas, est de secunda specie qualitatis, puta character, qui est quedam potentia spiritualis; tum quia figura, quae est de quarta specie qualitatis, potest esse dispositio ad agendum et patiendum. Potissime, in proposito, illud quod est dispositio, non ex natura rei, sed ex divina institutione, potest esse indifferenter absolutum vel respectivum. Verumtamen verisimile est quod, praeter tantum ornatum relativum, imprimatur aliqua qualitas divinitus fundans illum realem respectum. Et ad hoc videtur declinare sanctus Thomas, dist. 31, q. 4, art. 3, in solutione quinti argumenti, ubi sic dicit : « In sacramentis in quibus imprimitur character, traditur potestas ad actus spirituales; sed in matrimonio, ad actus corporales. Unde matrimonium, ratione potestatis quan in se invicem conjuges accipiunt, convenit cum sacramentis in quibus imprimitur character; et ex hoc habet inseparabilitatem, ut in littera dicitur. Sed differt ab eis, in quantum potestas illa est ad actus corporales; et, propter hoc, non imprimit characterem spiritualem. » — Haec ille. — Ex quibus patet quod per sacramentum matrimonii traditur aliqua potestas, vel potentia. Potentia autem vel potestas nominant aliquid absolutum, potissime potentia quae est principium actus. Et isto modo posset stare dictum Petri.

Dicitur secundo, quod tale vinculum, sive sit quid absolutum, sive quid relativum, convenientius dicitur esse in anima quam in corpore subjective : quia, licet ordinetur ad reprimendum morbum concupiscentiae, qui subjective est in corpore, non sequitur quod sit subjective in corpore, sed quod disponat ad gratiam, a qua fluit aliquis effectus in corpore, vel in potentissimis appetitivis corpori affixis,

cujusmodi est vis concupisibilis, et irascibilis, in quas fluit a gratia, existente in essentia animae subjective, virtus temperantiae et fortitudinis. Et forte sunt duo nexus : quorum ursus, quem dicit materialis, est in corpore vel toto composito subjective; alius vero, quem vocat spirituale, est in anima subjective. Hoc enim videtur sanctus Thomas sentire, dist. 27, q. 4 (art. 2, q^{la} 1), ut recitatum est in solutione argumenti Aureoli (α) statim praecedentis.

Dicitur tertio, quod non est multum ad praesens propositum, utrum tale vinculum corrumperatur vel desinat esse per mortem, an non. Et, quoad hoc, bene dicit Petrus, quod verisimilius est quod sic.

Ad argumentum contra questionem (6) patet solutio per praedicta (7).

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

DISTINCTIONES XXX, XXXI, XXXII.

QUESTIO I.

UTRUM MATRIMONIUM BEATÆ MARIAE VIRGINIS HABUERIT
ALIQUA BONA EXCUSANTIA ILLUD

 IRCA trigesimam distinctionem, et alias sequentes, queritur : Utrum matrimonium beate Marie Virginis habuerit aliqua bona excusantia illud.

Et arguitur quod sic. Quia matrimonium ejus fuit univoce matrimonium cum matrimonio aliarum. Sed matrimonium aliarum habet aliqua bona excusantia, ut patet per Magistrum, distinct. 31. Ergo et matrimonium beate Marie Virginis habuit illa.

In oppositum arguitur. Quia, secundum Philosophum, 8. Ethicorum (cap. 12), amicitia quae est inter virum et uxorem, est naturalis, et includit in se honestum, utile et delectabile. Sed illud quod de se est honestum, non indiget aliqua excusatione. Ergo nec matrimonio debent bona excusantia attribui.

In hac questione sunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

(α) argumenti Aureoli. — primi argumenti Pr.

(β) questionem. — conclusionem Pr.

(γ) Cfr. presertim art. 3, § 4, ad 2^{um} et ad 7^{um}.